



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

75. Et egressus foras, fleuit amarè.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

matibus, maximè quum Deum authorem peccati statuit, lectores ludificat. Affectuū feruor cum temperie à nobis perspicere non potest, ait Calvinus. Ita sanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, simul & semel in eodè cōsistere à nobis intelligi non possunt, ideòque à nemine sanè mentis afirmantur. Ipsa ergo Calvinire solutio suam absurditatē prodit. Quid enim absurdius quàm pugnantia docere, moxque ipsam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic est Calvinus ludus. Sic quod ex suo cerebro commentus est, ut sibi fallacem ex verbo Dei prætextum concilieret, corrumpit ac lacerat scripturam, ac indignis eam ludibrijs exponere non dubitat. Hi sunt audaciæ hæreticæ fructus, postquam semel extra Ecclesiasticæ doctrinæ metas vagari sibi permittit. Tenendum interea est, Christum Redemptorem nostrum, nec

1. aliquod inconsideratū votum emisisse, (sic enim
2. sapiens non fuisset), nec correctione dignum aliquid
3. dixisse, (sic enim peccasset) nec preces non meditatae Deo obrulisse, (sic enim temerari⁹ foret),
4. nec vocē vi doloris extortam protulisse, (sic enim appetitui suo dominari nequiuisset) nec postremo placida unquā moderatione caruisse, (sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset.) ac propterea Calvinum, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronuntiavit, hominem impium, nec fide sed furca dignum, omnium piorum iudicio pronuntiandum esse.

75. *Et egressus foras, fleuit amare.*

**H**ANC Petri poenitentiam insignem & veracem extenuat & suggillat Calvinus, ne ad veniam peccati obtinendam aliquid con-

Calvini  
ludus cir-  
ca diuinas  
Scriptu-  
ras.

contulisse videatur. *Verisimile* (inquit) *est*, Petrum metu egressum esse, quia flere coram testibus non audebat: in quo se rursus adhuc prodidit eius infirmitas. Vnde colligimus, non satisfactione veniam fuisse promeritum, sed eam adeptum paterna Dei indulgentia. Hæc ille. At quanto magis verisimile, imò verius est, Petrum nō metu egressum esse, quasi flere corā testibus non auderet, sed iusto dolore peccati perculsum, & iusto odio consortij malignorum commorū, egressum esse, vt liberius ac vberius fleret? Quis nescit solitudinem orationi & lachrymis esse oportuna? Nec audacia aut fortitudo sed temeritas & quadā ambitionis species est, multis præsentibus & spectantibus, idque in loco profano (quale hoc erat) peccata sua desistere. Sed ipsemet Calvinus, vbi e venenato corde suo veneni aliquid effudisset, quasique stomachum leuasset, ad occultas Petri lachrymas totāque eius pœnitentiam collaudandam orationem conuertit. *Interim* (inquit) *occulta Petri lachrymæ veram eius coram Deo & Angelis eius pœnitentiam testatæ sunt. Nam ab hominum oculis subductus Deum sibi & Angelos proponit: ideoque ex intimo cordis affectu manant istæ lachrymæ. Si ex intimo cordis affectu hæ lachrymæ manarunt, & veram eius pœnitentiam testatæ sūt, & ab hominum oculis subductus Petrus Deum sibi & Angelos proposuit, cur illi metum & timorē obiecit Calvinus? cur quod ab hominum oculis se subduxit, culpam ac reprehendit, quasi ideo factum quod non auderet coram testibus flere? Debit primū stomachum leuare, & turgidum veneno peccati exonerare, vt pœnitentiæ virtuti atque efficacitæ detraheret. Hinc enim colligere voluit, Petrum satisfactione hac sua veniam non esse promeritum, sed paterna Dei indulgentia. Sanè nec Petrus nec alius quisquam quibuscun-*

Pœnitentia Petri defenditur.

Pœnitentia an veniam meretur.

que lachrymis aut quacunque pœnitentia remissionem peccatorum, proprie loquendo promeretur, vt illud meritum iusticia nitatur, ipsaque remissio pœnitentię quasi merces merito respondeat, sed paterna Dei indulgentia & ex mera Dei gratia quantumlibet pœnitentibus peccata remittuntur. Quia tamen hæc paterna Dei indulgentia & pura gratia non nisi pœnitentibus impenditur, & veniam peccatorum pœnitentibus promittit Dei indulgētia, ipsaque pœnitentia ad veniam consequendam necessaria dispositio est, propterea aliquo modo veniam promereri pœnitentia dicitur, quatenus venia pœnitentiam consequitur. Quare à meriti vocabulo largius accepto, in venia peccatorum pœnitentibus data, Patres non abhorrent. Et de hac Petri pœnitentia ac lachrymis quòd veniam promeruerint, ita disertè & copiosè contra Caluinum scribit S. Ambrosius.

In Lucam  
lib. 10.  
cap. 96.

*Lauant lachrymæ delictum quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ lachrymæ sine offensione verecundiæ confitentur. Lachrymæ veniam non postulant sed merentur. Inueni cur tacuit Petrus, ne tam cità veniæ petitio plus offenderet. Antè sciendum est, sic precandū. Bonæ lachrymæ quæ lauant culpam. Fleuit ergo amarissimè Petrus, fleuit vt lachrymis suum posset lauare delictum. Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus. Hęc*

D. Ambrosij verba contra Caluini venena iusti antidoti loco esse possunt.

(. . .)

(. . .)

IN